

nis: quæ dum mulcent, docent. Quapropter haud rectè Horatius dixit,

Nam prodesse volunt, aut delectare poëta Melius deinde ait,
Omne tulis punctum, qui miscuit utile dulci.

Non enim delectat vt delectet poëta, sicuti Musica ægrum, sed vt doceat & prosit. Qui ergo solummodo per se delectationes attendunt, finem suæ artis ignorant veluti qui venere cum vxore vitur non prolis gratia, vt natura instituit, sed voluptatis tantum. Rectius S. Amb. certare doctrinam cum gratia in psalmodia dixit: cum psalmos exponeret. Præterea Rhetor suadet singulariter bonum partiale huic ciuitati, vel Regi, vel senatui, vel homini, & hic, & nunc, & ex proposito: sciunt enim omnes huius gratia fieri sermonem. Poëta verò omne bonum & omne verum & omnibus hominibus suadere potest, & vniuersaliter tractat. Et licet actiones singulares repræsentet, eas tamen tanquam ideas proponit, quæ vniuersaliter cunctis pro sunt, sicut de vultu Petri imagines exprimentur plures, & de vita Christi per imitationem, sancti plurimi prodierunt, illam pro exemplari tenentes. Ideirò diximus poëtam propinare exempla Rhetori: describit enim heroës, Mulieres, sacerdotas, Meretrices, vitiosos virtuosos, euentus & fortunâs-istorum, laudes, & vituperia, vnde viuere discamus, mala auerteri, bonâque sectari. Præterea Rhetor & alij artifices, eos, qui audire volunt, & possunt, & sciunt, docent, propriæ artis obiectum, vt bonum secundum nos Orator, Physicus veritatem naturæ: & aliæ aliud. Poëta verò docere potest omne verum, & omne bonum; & audire nolentes aut nescientes, aut non potentes, potest facere vt audiant, & suscipiant disciplinam. Et licet in Rhet. docuerimus idem per parabolas ab oratore fieri posse, id ex parte verum est, & quatenus poëtica virtute vitur orator, & solum nolentes capit. Poëta verò etiam in doctos & discere non potentes mansuefacit, & docet: plus enim ingix est in poëtica quam in Rhetorica, vt mox patebit.